



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Eugenius Papa IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

lis Ecclesia Romana filia appellari: eam condecorarunt beneficio alternativæ; sicq; Serenissimus & Reverendissimus Episcopus & Princeps Leodiensis, aliiq; collatores inferiores multiplicatum habeant titulum alternativivi mensis, absque cujus expressa derogatione, si Sedes Apostolica provideret, non teneret, quia plura vincula fortiora sunt uno, §. affinitatis. instit. de nuptiis. l. cum in adoptivis. 10. C. de adoption. & duobus impedimentis existentibus. uno sublato, remaneat aliud. c. pastoralis. 19. de privileg. c. extuarum. 5. de auctor. & usu pallii. Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 13. in pr. n. 92. & 93. Chokier ad eandem reg. gloss. 11. n. 35. & in comment. ad preces primar. sect. 4. sub lit. C. præsertim ubi est adjecta clausula irritans, ut in dictis Concordatis, quæ irritat omnes & quascumque alias Constitutiones quorumcumque tenorum, & quascumque derogatorias clausulas continententes, Chokier supra tam ad reg. 8. quam ad preces primar. Vnde Gonzalez loco præcit. num. 301 ex Mandosio asserit indultum ad conferendum beneficia reservata, non extendi ad beneficia reservata duplici reservatione, vel capite.

§. 14. Concordatorum autem Leodiensium hic est tenor. *Tenor Concordatorum Leodiensium.*



EUGENIUS PAPA IV.

Concordata Leodiensia cum Eugenio Papa 4. circa beneficia.



Enerabili Fratri IOANNI Episcopo Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Pastoralis officii desuper Nobis inuncti cura deposcit, ad ea Nos intendere, per quæ devotè Sanctæ Apostolicæ Sedis consolationi ampliùs provideatur, ac charitati inter Nos & ipsos firmandæ atque augendæ ampliùs consulatur.

Exordium

Num. I. Sanè cum nonnulli ex Germaniæ partibus
Aa 2 pluri.

*Motivum
hujus Con-
stitutionis,
seu Con-
cordat.*

plurimum affectare dicantur, ut circa reservationes beneficiorum juxta morem Prædecessorum Nostrorum per Nos factas, & gratias expectativas, nec non & causas judiciales, atque etiam subsidia ex fructibus vacantium beneficiorum Camera Apostolicæ exhibenda, majori liberalitate, quàm hactenus uteremur: Nos considerantes in primis personam Tuam, pro omnibus servitiis Nobis & dictæ Sedi hactenus impensis, de hujusmodi Nostra liberalitate unà cum omnibus devotis Nostris in tua Civitate & Diocesi consistentibus bene meritam, Fraternitati Tuæ provisiones & Ordinationes Nostras super præmissis, juxta modum & tenorem inferius descriptos, pro Te & successoribus Tuis recipiendi, ac omnibus & singulis aliis in prædicta Civitate & Diocesi consistentibus, in quibusvis gradibus, statibus, dignitatibus, & conditionibus existant, ex parte Nostra exhibendi, tradendi, ac cum ipsis de prædictis concordandi, illasq; roborandi & stabiliendi, prout tibi melius expedire visum fuerit, tenore præsentium plenam & liberam auctoritate Apostolicâ concedimus facultatem, quarum proinde provisionum & Ordinationum tenor sequitur in hæc verba.

*In vim
ius decla-
rat Pons.
se nullas
dein eps
gratias ex-
pectativas
concessit.
& concessit
non nisi ad
quatuor
menses du-
raturas.*

II. Placet Nobis, gratias expectativas sub quavis forma in dicta Natione de cætero non concedere, hactenus autem concessas per quatuor menses à die publicationis & acceptationis infrascriptorum duntaxat durare. Item nullas reservationes dignitatum, beneficiorumve cujuscumque status, valoris, vel conditionis existant, generales vel speciales facere, neque reservationibus per Nos aut Prædecessores Nostros hactenus factis uti, exceptis reservationibus

bus

bus in corpore iuris clausis, exceptis etiam dignitatibus & beneficiis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prothonotoriorum, Apostolicæ Sedis Auditorum, contradictarum Correctorum, Auditorum Sacri Palatii, & Auditorum Camerae Apostolicæ ac Clericorum eiusdem Camerae, Accolytorum, Cubiculariorum, Abbreviatorum ad numerum centum, Scriptorum grossæ ad numerum centum & unius, Scriptorum pœnitentiariæ ad numerum viginti quatuor, omnium veterorum Commensalium, familiarium Nostrorum, ac etiam familiarium huiusmodi omnium & singulorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quamdiu duraverit vera familiaritas.

*neq. alias
beneficio-
rum reser-
vationes
facturum
præter
clausas in-
co. pore iu-
ris, & sub-
ta extra-
vag. Ad
regiment.*

III. Item placet Nobis, electiones ad Metropolitanas, Cathedralis, Monasteria, dignitates maiores post Pontificales, & principales in Collegiatis electivas per tēpus & tempora à iure statuta expectari, illasq; affirmari, approbari & confirmari, vel infirmari, prout iustitia & æquitas suadebit, nisi ex aliqua rationabili & evidenti causa in litteris Apostolicis exprimenda, aliter visum fuerit providere, provisò etiam, quod confirmati seu provisè per ipsam Sedem Apostolicam, Metropolitanis & aliis Ordinariis præstent debita iuramenta, & alia ad quæ de iure tenentur.

*Declarat
etiam ele-
ctiones tē-
poribus
statutis fa-
ciendas, illasq; con-
firmandas,
vel infir-
mandas.*

IV. De cæteris verò dignitatibus, beneficiis & officiis sæcularibus & regularibus, cuiuscumque valoris & conditionis existant, & quovis nomine nuncupentur, quæ, exceptis reservationibus supradictis, quovis modo, vel ex quavis persona à prædictis vacare contigerit, hoc modo dispon-

*Declarat
in super
vacatio-
nes futu-
ras in mē-
stis Sedis
Apostoli-
cæ, & Or-*

*dinariis
reſp. Arve
reſer. datis.*

natur, videlicet, quod quæ in mensibus *Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris & Novembris* vacaverint, ut præmittitur, ad collationem Sedis Apostolicæ liberè pertineant, & quod nullus de vacantibus in dictis mensibus, ut præmittitur, præter Romanum Pontificem, se ullatenus intromittat; quæ verò in reliquis sex mensibus, videlicet *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, & Decembris* vacaverint, dispositioni Ordinariorum, vel aliàs quovis modo de eis disponendi ius habentium, iuxta facultatem eis competentem, similiter liberè cedant, iure patronatus laicorum in omnibus supradictis semper salvo: mensis autem in hoc ab ortu solis censeatur incipere.

*Beneficia
autem &
officia
clauſtralis
in omni
mense per-
mittit Or-
dinariorum
dis-
positioni.*

V. De clauſtralibus autem beneficiis, officiis, & choralibus, & aliis alioquin merum servitium etiam perpetuum requirentibus in sæcularibus & regularibus Ecclesiis, per Ordinarios, ad quos pertinet, omni casu & omni tempore liberè disponetur. Ex dictis verò sex mensibus unum ex suppositis Vniversitatum studiorum generalium reservare etiam placet.

*Præterea
declarat,
quæ causæ
in parti-
bus sine
finientia.*

VI. Placet etiam Nobis, ut omnes & quæcumque causæ (maiorum, ac & electionum Metropolitanarum, Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum maiorum post Pontificales, & principalium in Collegiatis, duntaxat exceptis) in partibus apud illos, ad quos de iure, consuetudine, vel alio iure speciali pertinent, tractentur & finiantur, Si quis autem ad ipsam Sedem Apostolicam

licam per querelam, aut appellationem recursum habuerit, si causa fuerit super re, cuius fructus, redditus & proventus quinquaginta florenorum auri de camera valorem annum non excedunt, vel ubi non est annuus redditus, communis causæ æstimatio ducentos florenos similes non exceſſerit, per rescriptum usque ad finem litis inclusivè in partibus committatur: ubi verò summas prædictas exceſſerit, in tertia saltem instantia apud ipsam Sedem Apostolicam tractentur & finiantur, nisi fortè defectus iustitiæ ad iustum metum in partibus, de quibus priùs constiterit summarie, contractum, videatur causas ex casibus prædictis apud eandem Sedem Apostolicam fortè esse retinendas. Romanæ verò Ecclesiæ Cardinales, & dictæ Sedis Apostolicæ Officiales, & Summi Pontificis, necnon & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ domesticos, commensales actu in suis officiis in Curia Romana existentes, personasq; infra sex dietas à Romana Curia distantes, vel domino directo vel utili, seu mediatè, vel immediatè subiectas includere non intendimus, sed neque alias personas in quibuscumque causis, ubi utraque pars de iure suo experiri consenserit. Causæ autem præter has, nisi in casibus à iure expressis, & commissionibus exprimentibus, summarie ad probandum, aut de expresso partium consensu in Curia ipsa nullatenus committantur.

VII. Placet & Nobis, quod ab interlocutoria sententia vel gravamine nec in partibus appellari possit; in citationibus autem, quas de Curia Romana emanare contigerit, per Actorem in prima instantia ius exprimatur, quo se fundat

*Et quod ab
interlocu-
toria non
liceat ap-
pellare.*

fundare intendit, nec in prosecutione aliud possit deducere, ad hoc, ut Reus citatus de iure Adversarii instructus videat, deliberet plenius, an velit cedere, vel contendere, nisi fortè Actor ius quod ante ipsam citationem sibi competeat, probabiliter ignoraverit, de quo saltem per proprium iuramentum, si aliàs sit persona honesta, fidem facere possit & teneatur.

*Nec non
quis pro
annuis solis
vendum
determinat.*

VIII. Quoad subsidia Apostolicæ Sedi præstari solita, salvâ pro maiori relevatione ea solvere debentium, placet Nobis, quod ipsis oneribus, quæ in regimine Universalis Ecclesiæ ipsam Sedem Apostolicam subire oportet, quæ multiplicia & maxima sunt, ac pro sustentatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Officialium necessitate, dignitates & beneficia, quæ in sua vacatione certam summam hæctenus solvere consueverunt, dictæ summæ medietatem infra sex menses, & aliam medietatem infra alios sex à tempore adeptæ possessionis pacificæ, Camera Apostolicæ & Collegio Cardinalium fideliter persolvant, literæq; Apostolicæ post factam provisionem & obligationem solitam liberè & sine contradictione tradantur. Et si Ecclesiarum aliquarum taxam ex diminutione fructuum nimis gravem nunc & in futurum esse contigerit, ad petitionem eorum, quorum interest, placet Nobis, quod ad convenientem taxam reducat. Si etiam infra annum vacatio eiusdem Ecclesiæ contingat, una tantum vacatio eo ipso censeatur. Ratum & gratum habituri, quidquid iuxta præmissa egeris, concordaveris, statueris, vel ordina-veris, eaq; omnia & singula adiutore Domino faciemus
inviol

Inviolabiliter observari. Datum Florentiæ anno Incarnacionis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo. pridie Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri anno undecimo. Publicata fuit Leodii anno 1442. mensis Ianuarii die ultima in valuis maioris Ecclesiæ, & ab omni Clero gratanter acceptata & recepta.

S. 15. Confirmavit hæc Pius Papa II. sequenti Constitutio-
ne.

Quæ confirmavit
Pius Pa-
pa 2.



PIUS PAPA II.

Confirma-
tio & am-
pliatio
prædictæ
Constitu-
tionis Eu-
genianæ
per Pium
Papam 2.



Ad perpetuum rei memoriam. Laudanda Sedis Apostolicæ reconditudo, quæ in suis actibus providâ circumspectione dirigitur, illis ex Prælati & personis Ecclesiasticis, non immeritò etiam in concessis per eam, declarationis adiecto beneficio, speciales favores & gratiam impartitur, quos facti evidentiâ iudicante, sibi devotos & obsequiosos fuisse & esse cognoscit, ut tales ad eius beneplacita promptius in posterum se coaptent, & alii eorum exemplo ad fideiiores effendum propensius excitentur.

Exordium

Num. I. Dudum siquidem fel. recor. EUGENIO Papæ IV. Prædecessori Nostro ad constantem Venerabilis Fratris Nostri IOANNIS olim Episcopi Leodiensis, ac aliorum Ecclesiasticorum Civitatis & Diocesis Leodiensis, quam

repetitis te-
norem Con-
stitutionis
Eugenii
Papæ 4.
in ca be-

B b

lis, quam